

facinus, lege, quod te legisse non ambigo. Invenies Dathan & Abi- Num 16,
30,47.
 ron hiatu terre devoratos, ceterosq; omnes, qui eis consenserant, igne de
 medio eorum existente consumtos. Illud ergo scelus, ad exemplum de-
 vitandi, Dominus Deus praesenti suppicio denotavit, ut, cum talibus pa-
 tientissime parcit,* quali ultimo judicio reservet, ostenderet. Neque
 enim reprehendimus rationes vestras, si eo tempore, quo vesanâ poten-
 tiâ furere jaetabatur Optatus, [cum ejus accusator esset totius Africæ ge-
 mitus, congemiscitibus vobis ; si tamen talis es, qualem te prædicat
 fama, quod, seit Deus, me & credere & velle : Non ergo reprehendimus,
 si eo tempore,] ne multos secum excommunicatus traheret, & commu-
 nionem vestram schismatis furore præcideret, eum excommunicare
 noluistis. Sed hoc ipsum est, quod vos arguit in judicio Dei, frater
 Emerite, quod, cum videretis, tam magnum malum esse, dividi partem
 Donati, ut Optatus potius in communione tolerandus existimaretur,
 quam illud admitteretur, permanetis in eo malo, quod in dividenda
 Ecclesia Christi à vestris majoribus perpetratum est. Hic fortasse re-
 spondendi angustiâ tentabis defendere Optatum. Noli, frater, noli :
 obsecro : non te decet, & si aliquem alium forte deceat ; si tamen quic-
 quam decet malos ; Emeritum certè non decet defendere Optatum.
 Sed fortasse nec accusare ? Ita sit sanè. Uttere voce mediâ, & dic :
 Unusquisq; sarcinam suam portat. Tu quis es, qui judicas servum alienum ? Ad Gal. 6,
5.
 Si ergo ad testimonium totius Africæ, imò verò tertiarum omnium,
 quaquaversum Gildonis fama servebat, [simul enim & ille notus erat :] non ausi estis unquam de Optato judicare, ne temere de incognitis judi-
 caretis ; nos tandem possimus aut debemus de iis, qui ante nos vixe-
 runt, ad vestrum tantummodo testimonium temerariam de incogni-
 tis ferre sententiam ; ut parum sit, quod vos ignota criminamini ; nisi &
 nos ignota judicemus ? Non enim Optatum ; etiam si forte falsa pericli-
 tatur invidia ; sed te defendis, cum dicis : Ignoro, qualis iste fuerit. Quan-
 to magis ergo, quales fuerint Afri, quos ignotiores arguis, Orientalis or-
 bis ignorat ? à quibus tamen ecclesiis quarum nomina habes in libris &
 recitas, nefariâ dissensione disjungeris. Si Tamugadensem episcopum
 vestrum famosissimum & pessime diffamatum, non dico, Cæsariensis,
 sed Sitifensis collega ejus ejusdemque temporis ignorabat ; quomodo
 Traditiones Astros, quicunque illi fuerint, ecclesia Corinthiorum, Ephe-
 siorum, Colossenium, Philippium, Thessalonicensium, Antiochenorum,
 Ponti, Galatiae, Cappadociæ, ceterarumque orbis partium ab
 Apostolis in Christo ædificatarum, aut nosse potuit, aut damnari à vo-
 bis meruit ; quia non potuit ? Et tamen eis non communicatis, & dicitis,
 non esse Christianos, & eos rebaptizare conamini ? Quid dicam ? Quid
 que-

* Al. quale
ultimum
judicium
reservet,

Ad Gal. 6,
14,4.
Ad Roma.